

*scripsissent, quum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa salvas esse vult, sed rei publicae, quod ex legibus omnes rem publicam optime putant administrari. Quam ob rem igitur leges servari oportet, ad eam causam scripta omnia interpretari convenit. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet, quoniam ejus causa est instituta: sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod rei publicae conducatur, proficisci, quoniam ejus causa sunt comparatae. Ergo in hoc quoque judicio desinite litteras legis perscrutari, et legem, ut aequum est, ex utilitate rei publicae considerate. Quid enim magis utile Thebanis fuit, quam Lacedaemonios opprimi? Cui rei magis Epaminondam, Thebanorum imperatorem, quam victoriae Thebanorum, consulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro atque exornato tropaeo carius aut antiquius habere convenit? Scripto videlicet legis omisso, scriptoris sententiam considerare debebat. Atque hoc quidem satis consideratum est, nullam esse legem, nisi rei publicae causa scriptam. Summam igitur amentiam esse existimabat, quod scriptum esset rei publicae salutis causa, id non ex rei publicae salute interpretari. Quod si leges omnes ad utilitatem rei publicae referri convenit, hic autem saluti rei publicae profuit; profecto non potest eodem facto et communibus fortunis consuluisse, et legibus non obtemperasse.*

Cap. XXXIX. Quatuor autem partibus constat argumentatio, quum aut proponimus, aut assumimus sine approbatione. Id facere oportet, quum aut propositio ex se intelligitur, aut assumptio perspicua est, et nullius approbationis indiget. Propositionis approbatione praeterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur ad hunc modum: *Judices, qui ex lege jurati judicatis, legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem legibus non potestis, nisi id, quod scriptum est in lege, sequamini. Quod enim certius legis scriptor testimonium*